

DE
ELOCVTIONIS POETICAE
NATVRA
P R O L V S I O



QVA
AB AVDIENDAS

ORATIONES

IN GYMNASIO HALLENSI LVTHERANO

A. D. X IANVAR. MDCCLXXIII

AB HORA II POMERIDIANA

HABENDAS

AMPLISSIMOS GYMNASII PATRONOS

HONORATISSIMOSQVE BONARVM LITTERARVM

FAVTORES

HVMANISSIME INVITAT

M. CHRISTIANVS DAVID IANI

CONRECTOR.

HALLAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS FRIDERICI WILHELMI HVNDTII





Artium, quae ad humanitatem pertinent, cum antiquissima recte creditur, tum nescio an praestantissima sit atque omnium pulcherrima poësis. Quare non iniuria factum est, ut summi ex omni memoria viri, maximam illi inesse vim ad formandam puerilem aetatem, censerent, poëtasque in primis iuberent in scholis studiose diligenterque tractari. Ea lectio ut ad fructum quam vberissima sit, multa profecto sunt, quae obseruare et magistros et tirones oporteat, quae autem negligi fere ab utrisque quotidie videamus. Eorum illud non vltimum est, ut mature adsuefiant pueri obseruandae verae poëseos naturae, ac praesertim illius, qua sermo poëticus a libero discernitur, differentiae. Quare non ingratum putabamus nos et discipulis et magistrorum multis facturos, si paullo accuratius de hoc argumento nunc exponeremus; non quo noui aliquid adlaturos nos super ea re admodum crederemus, sed ut homines, nobis elegantiores, hac nostra qualicumque opera, ad doctiora commentanda incitarentur et meliora nostris.

§. I.

Interesse aliquid inter stilum poëticum ac prosaicum ideo necesse est, quod poësis admirationem delectationemque maiorem non magis *rebus* sectatur, quam *verbis*; neutram autem habitura est vniquam, nisi erigat se ac supra vulgarem loquendi rationem exurgat. Doctiores enim atque argutiores carmina lectores nanciscuntur. Quae ipsa ratio est, cur *Deorum sermonem* omnis aetas appellarit poësin. Recte sane Cicero *): *grandis et ornata, inquit, vox est poëtarum — in ea cum licentiam statuo maiorem esse, quam in nobis (oratoribus), faciendorum iungendorumque verborum, tum etiam nonnullorum voluptati vocibus magis, quam rebus inseruiunt.* Neque Horatius **) *concludere versum* putat esse satis, neque, si quis scribat *sermoni* (quotidiano atque communi) *propiora*, arbitratr hunc esse poëtam, sed primum *ingenium et mentem diuiniorem*, quae in *inventione* cernatur, esse vult illi, qui sibi dari cupiat *nominis huius honorem*; deinde vero etiam *os magna sonaturum*, hoc est, *elocutionem* a vulgari consuetudine discrepantem, caeque excellentiorem. Quae omnia ita accipienda sunt, poëticum ser-

monem

*) Or. 70.

**) Serin. I, 4, 40.

H253

monem illo vulgi atque oratorum esse magnificentiorem ac splendidiorē debere, sic, ut vitium illud, quod tumorem ac frigus vocant, effugiat, maneatque perspicuus; perspicuum autem sic, ut ad humilitatem ne se abiciat. Recte Aristoteles *): λέγεος δε ἀρετή, σαφὴ καὶ μὴ ταπεινὴ εἶναι, i. e. *distinctionis virtus est, ut perspicua, neque tamen humilis sit*, h. e. ut semper in ea adpareat aliquid, quo supra communem orationem emineat; ut in verbis et compositione infit vel maiestas quaedam, vel vis, vel denique gratia, quae, si idem argumentum prosa exponatur, neque adfit eadem, neque adesse possit. Sed iam, quibus contineatur illa dos, qua solutae orationi excellat dictio poetica, paucis videamus.

§. 2.

Tenuissimum etiam carminis genus habere aliquid oportet, quo a prosa recedat, idque non in metro solum ac numero, sed magis etiam in aliis cerni virtutibus. Poësis enim licet sponte adstringat se vinculis, tamen cum ipsis his vinculis tam libera, tam facilis, tam expedita exultat, ut vis quaedam divina subesse videatur. Quod quo pertineat, accuratius iam doceamus.

§. 3.

I. Ac PRIMVM quidem poëtes in eo excellentia ac nobilitate quaedam libertas cernitur, quod negligit ac spernit consuetudinem soluti sermonis, inuertit compositionem vulgarem, peregrinis vritur, antiqua reuocat, noua creat, amat non vulgaria, atque omnino delectatur insolita et exquisita dicendi ratione. Haec nunc explicemus breuiter et articulatum; fusius enim omnia disputabuntur in arte poetica latina, quam habemus in manibus.

§. 4.

I. Negligit poësis ordinem consuetudinemque soluti sermonis. Numerum singularem ponit pro plurali, ut, *multa canere, placido lumine, multa auis*, pro *multis canibus, placidis oculis, multae aues*; pluralem contra pro singulari, ut, *mella, pectora, colla*, pro *mel, pectus, collum*. Substantiuus vritur pro adiectiuus, et contra; ut, *fabulae manes* pro *fabulosa*, *inane* pro *aëre*, *apertum* pro *campo*, *colli longitudo* pro *collum longum*. Adiectiua et verba cum aliis componit casibus, quam, qui solent in libero sermone subiici. E. g. *timidus procellae, audax animi, certans uva purpurae, tollere caelo, non intelligor ulli*, pro *timens procellam, audax animo, certans cum purpura, non tollere ad caelum, non intelligor ab ullo*. In VERBIS pro actiuo vsurpat passiuum, et contra actiuo pro passiuo aut reciproco vritur; ut, *accingi* pro *accingere se*, *ingeminare* pro *ingeminari* seu *ingeminare se*, *praecipitare* pro *praecipitari* seu *praecipitare se*. Infinitiuum ponit pro gerundiis ac supinis; veluti, *amor cognoscere* pro *cupiditas cognoscendi*, *peritus cantare, timidus mori, horridus cerni, indignus coli*. Tempora permutat, ut, *ni mea cura resistat, iam flammae tulerint*, pro, *resistisset, tulissent*. El-

*) Poët. 22.

lipſibus ac pleonaſmīs abundat, a quibus in proſa oratione abſtinentum ſit, vt, *ore loqui, niſi ſi, licet quannīs, ſimul, pro loqui, niſi, licet, ſimul ac.*

§. 5.

2. Poëſis compoſitionem vulgarem inuertit. Particulas ponit loco alieno. E. g. *vitiis nemo ſine naſcitur; ſpecula de montis; tranſtra per et remos; potes nam; inultus vt ſtebo puer; inque ſalutatam* linquit (pro *inſalutatamque*); *pacis eras mediisque belli* (pro *pacis bellique*). Caſus duo, ab eodem verbo pendent inter ſe permutat. E. g. *cur valle permutem Sabina diuitias operoſiores*, pro vulgari, *cur vallem p. diuitiis; viridi fontes inducere vmbra*, pro compoſitione notiori: *vmbra fontibus inducere.*

§. 6.

3. Vtut poëſis peregrinis et vocabulis et conſtructionibus, *gracis* ſcilicet. Summam enim carminibus adferri elegantiam apro rectoque helleniſmorum uſu, vel ex eo intelligi poteſt, quod carmina lectores habent doctos, graeca non ignorant, quibus placere et ſolet et debet inſolita dicendi ratio, in tempore uſurpata. Iam, licet dubium non ſit, quin ſoluti etiam ſermonis ſcriptores graecismis non careant; illud tamen apparet, multo liberioſorem datum eſſe poëti atque audaciorẽ illorum uſum. Quis in proſa oratione ferat, *deſinere querolarum, abſinere irarum, amara curarum* (pro *amaras curas*), *vultus lubricus adſpici, dulce videns Lalage, dare pro dicere, eſt pro licet, amare pro ſolere, parce facere, fuge quaerere* (pro *noli facere ſ. quaerere*)? Atqui haec in carmine non feruntur ſolum, ſed elegantiam etiam habent.

§. 7.

4. Poëſis vocabula antiqua reuocet, noua creat. *Obſoleta* atque *archaiſmos* fugere iubet puritas ſermonis ſoluti, quod et conſuetudini obſunt et perſpicuitati. In carminibus contra ita nihil habent archaiſmi vitii, vt potius non vulgarem conciliare illis elegantiam poſſiat; dum ne utamur ita uetuftis, vt propemodum prorfus obſcura facta ſint, qualia ſunt *eſcit pro erit ſ. fuerit, toper pro cito*. Illa autem obſoleta, quae recedunt quidem ab uſu communi, at non obſcura tamen ſunt aut ignota priſcorum ſcriptorum lectoribus, illa igitur in carmine uenuftatem etiam habent, in argumento praefertim grauiori. Sic leguntur *dum pro dederim, eluo ſ. elueo pro ſum, habeor, nominor, ſuat pro ſit, ſueret pro eſſet, duellum pro bellum, catus pro prudens, clarare pro clarum reddere*; item formae antiquae, *imitarier, intellexe, ſurrexe, exſtinxem, mollibit*. — *Nouatis*, hoc eſt, iis, quae aurea illa aetas vel omnino ignorauit, vel cum alia ſignificatione uſurpauit, nullus debet eſſe in oratione libera locus. In carminibus contra, non ſolum leuioris aut tenuioris, ſed grauioris etiam argumenti, multa vocabula noua, hoc eſt, poſt auream demum aetatem nata, *compoſita* praecipue, cum uenuftate uſurpantur, ſi quidem, licet ipſa aetatem auream non uiderint, tamen compoſita ſint ad illius conſuetudinem; ueluti *dulciloquus, meliſſuus, lacticolor*.

Sic

Sic Horatius ipse confinxit vocabula, quae ante eum non audisset Romanus; e. g. *bimaris* Corinthus, *illacrimabilis* Pluto, *tauriformis* Aufidus.

§. 8.
5. Omnino poësis amat non vulgaria, delectaturque exquisita atque insolita dicendi ratione; quo excellentiori atque a ceterorum hominum usu disiunctiori vi sermone videatur. Veluti, vulgo *navis vento dari vel tradi* dicitur, sed exquisitior ratione Virgilius *) dixit, *dare classibus austris*, cum vela penduntur, ut ventos quasi accipiant. Item ubi Horatius **) dicit: *Mobilibus veris inhorruit aduentus foliis*; ibi vulgaris consuetudo dixisset: *mobilia folia veris aduentu inhorruerunt*. Et profecto haec iam elegantissima fuisset imago, *folia inborrescere*, hoc est, *intremiscere* aduentu veris, cum Zephyris, aduenientis veris comitibus, agitantur. Sed quanto iucundiorum atque exquisitiorum sententiam reddit casuum permutio: *veris aduentus inborrescit* h. e. *intremiscit*, s. *ver aduenient tremunt per folia*, *der ankommende Lenz rauscht in den Blättern!* Nonne sentis, quam ornate, quam pulchre, tum, cum folia intremiscant veris tempore, *ver ipsam* in illis dicatur tremiscere, eiusque aduentantis quasi numen ab ipsis sentiri, audiri que ex eorum strepitu?

§. 9.
II. ALTERA orationis poëticae a sermone libero differentia est in epithetis. Ea poësis cumulat, cum parce iis exornari prosa oratio debeat. Veluti, ubi Virgilius ***) dicit: *Carmina tantum nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum Chaeonias dicunt, aquila veniente, columbas*; libera oratio sane omisit epitheta *Martia* et *Chaeonias*. Item in illo eiusdem ****): *Nona progenies caelo demittitur alto*, epitheton *alto* ornat in carmine, in prosa frigidum esset. Sed hoc loco non possumus, quin admoneamus tirones, quamquam summum ex epithetorum usu ornatum poësis accipiat, quod pluribus explicari nunc opus non est, tamen id eo non pertinere nos velle, ut eam nonnullorum consuetudinem probemus, qua tum carmina se Apolline digna composuisse putant, cum nullam siue epitheto aliquo, quodcumque sit, et quomodo cumque conueniat, substantiarum posuerint, et sic epithetis onerant et quasi sepeliant omne argumentum; quod genus *poëse epithetice* a Gallis vocatur.

§. 10.
III. PORRO poësis homines, animalia, gentes, aliasque res, non suis ac notis vulgo nominibus appellare, sed vel nobiliore aut sonantiore vocabulo, vel tropo, vel periphrasi solet vi. *Achilles* apud illam est *Pelei gnatus* vel *Peleides*; *Iuppiter*, *diuom pater* atque *hominum rex*; *Aeneas*, *Anchisades* seu *dux Troianus*; *Troiani*, *Dardanidae*; *Venus*, *Erycina*; *Pindarus*, *Dircaeus cygnus*; *agnus*, *laniger* seu *bidens*; *lupus*, *latro*; *ciconia*, *percygrina volucris*; *operis nemoricultrix*; *Graeci*, *Achiui* seu *Grati*; *mare*, *marmora ponti* seu *campi Iulii*;

A 3

*) Aen. 1, 61.

**) Carm. 1, 23, 5.

***) Ecl. 9, 11 sq.

****) Ecl. 4, 6.

salis; pro tribus annis, tres messes ponit, vel tertiam dicit *falco* decubuisse *Cororem*, vel tertiam duct aetatem. Qualia si quis velit in oratione libera ponere, quam ridicula sint! Contra in carmine vel tenuissimo quantum habebunt elegantiae!

§. II.

IV. DEINDE ubi prosa uniuerse, ibi poësis singulatim loquitur, ut, ubi illa genus ponat, haec speciem commemoret, atque omnino *notionem specialem* malit usurpare pro *generali*. Sic pro *quouis* arbore malunt poëtrae *populum*, *pinum*, *quercum*, *ornum* ponere; pro *quouis* flore, *rosam*, *lilium*, *violam*; pro *quouis* rosa, *Paestanam*; pro *quouis* flumine, *Tanaim*, *Rhodanum*, *Tiberim*; pro *quouis* vento, *Africum*, *Notum*, *Boream*; pro *quouis* monte, *Caucasum*, *Taurum*, *Olympum*; pro *quouis* vino, *Falernum*, *Casenum*, *Chium*; pro *quouis* mari procelloso, *Adriam*, *Tyrrhenum*, *Aegacum*; pro *quouis* valle amoena, *Tempe*, etc. — Horatius nonum libri II. carmen hac sententia incipit: „Non semper e caelo cadunt pluuiae, neque in mari procellae faciunt, nec montes glacie rigent, neque arbores ventis agitantur.“ Quam sententiam ut ornatum poëtico indueret poëta, pro *quouis* mari dixit *Caspium*; pro quibusuis montibus glacie tectis, *Armenios*; pro quibusuis arboribus, *quercus* ex *ornos*; pro quibusuis quercetis illa *Gargani*, *Apuliae* montis; pro quibusuis denique ventis *Aquilones*.

*Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in Agros; nec mare Caspium*

Vexant inaequales procellae

Vsque, nec Armeniis in oris,

Amice Valgi, fiat glacies incers

Menses per omnes; aut Aquilonibus

Querceta Gargani laborant

Et foliis viduantur orni.

Omnino cum iudicio videndum est, quae noë. specialis ex pluribus, quae sub eandem generalem subiiciuntur, quouis loco optime conueniat. Neque enim ubiuis nihil interest, utram *Falernum* an *Chium* pro vino, *Caspium* an *Tyrrhenum* pro mari, *pinum* an *quercum* pro arbore ponas. Sic, ut hoc vnum commemorem, in describendo loco amoeno, sollempnis mentio est *pinus* ac *populi*; e.g. *Horat. Carm. 2, 3, 9. Virgil. Ecl. 9, 41.* — In primis vero illud ornatum est, cum id, quod est in quouis genere nobilissimum, certe nobile, pro ipso genere ponitur, ut, *Falernum* pro vino, *Adria* pro mari procelloso, *rosae* *Paestanae* pro quibusuis, *Chaoniae columbae* pro quibusuis etc.

§. 12.

V. TVM poësis res minutas, vulgares, cuius cognitas, quas prosa negligit fere ac spernit, has igitur pingit poësis, et magno quidem studio pingit. Sic, ubi in libero sermone aliquid noctu factum narratur, poësis pingit diligenter hoc tempus: *nox erat et caelo fulgebant luna sereno, inter minora sidera; seu, nox erat et bijores intrabat luna fenestras; seu,*

iamque

tanque quiescebant voces hominumque canumque. In oratione libera pueris sint ac fridicula talia.

§. 13.

VI. DEINDE in tropis ac figuris insolentior multo est atque audacior poësis, multoque maiorem sibi vindicat licentiam. Sic ponit *Iouem* pro *aëre*, *Neptunum* pro *marē*, *hiemem* pro *tempestate*, *segetem ferream* pro hastarum erectarum multitudine, *lucida tela dei* *) pro radiis solis, *nives capitis* **) pro canis. *Figurarum*, illarum praecipue quae *verborum* dicuntur, in carminibus multo liberior atque venustior usus est, quam in libero sermone. Neque tamen tropis ac figuris, licet dominantur in poësi, nullos omnino terminos esse circumscriptos, arbitrari tironem volumus. Multo potius subactoque iudicio, multa lectione, multa exercitatione opus est, ne ridiculi simus. Quis ferre possit, si quis *plorare* nubes dixerit pro *pluere*, aut *lacrimas polorum* pro *imbre*, *verrucae terrae* pro *montibus*? Quis ferre potest *Ouidium*, tum, cum in figurarum usu nimis indulget ingenti lusus, quo crimine vitium ne toties accusandus esset summus poeta!

§. 14.

VII. DENIQUE poësis exquisita et docte subinde loquitur, eruditionisque, ut ita dicam, scintillas adspexit, quasi pudeat illam cum vulgo loqui. Videndum tamen, ne loco alieno offenteret doctrina, velut, in carmine bucolico, quo crimine accusandum interdum *Virgilium* putant in eclogis, e. g. Eccl. 1, 63. 66: vbi cf. *Heymius*, vit. summus.

§. 15.

Quibus expositis non possumus, quin moneamus tirones, ne omnia profaica sic vitiosa putent in versibus, ut semper *Iouem* pro *aëre*, *semper marmora* pro *marē* poni putent oportere; sed id tantum videndum esse, ne *omnino profaicus*, vel *toti carmini*, vel singulis versibus, sit color. Omnino nihil apparere in carmine debet, quod suspicionem aerumosi laboris possit iniicere; poësis in splendidissimo etiam argumento sic loquitur, ut omnia sine vilo artificio, sine vlla animi intentione, sponte excidisse ex ingenio, aut effluxisse de calamo videantur.

§. 16.

Non alienum videatur ab instituto nostro, si rationem quamdam doceamus tironem, optime obseruandi illius, quod inter profaicum poëticumque sermonem interest, discriminis. Sumat in manus facilem florentemque poëtam, quales sunt *Ouidius*, *Phaedrus*; et aliquam vel elegiam illius, vel huius fabulam, in profaicam transfundat orationem, mutatis aut reiectis, quae a sermonis soluti natura abhorreant. Facile intelligitur, hoc initio magistro dāci fieri oportere. Tum videat, quomodo ordine, vocabulis, constructionibus, epithetis, tropis, metaphoris in primis, discrepet carmen, quod in inanibus est, ab historico aut oratorio dicendi genere. Quod vbi aliquoties periculum fecerit, ipse fabulam, historicam, aliudve argumentum facile, paribus adiumentis, ad characterem quasi poëticum extollere studeat, nondum curans metrum ac numeros. Multorum enim video hunc esse errorem, ut in numeris componendis cogant tirones inanem proflus opellam consumere, ante, quam verborum sententiarumque facultatem sibi poëticam compararint. Profecto, cum primum poëticè loqui, ut ita dicam, didicerit iuuenis, facile numeris adstringetur, non repugnans, oratio.

Iam, haec ut illustremus, fabulam *Phaedrianam de mussela et muribus* (libri IV primam), sumamus in manus, atque ita, ut diximus, tractemus. Possit autem illa sic fere profertur oratione libera:

Mussela annis et senectute debilis (confecta, grauis) cum mures adaequi amplius iam non posset, volutatum in farina corpus obscuro in loco negligenter abiiecit. Adulter miss,

*) *Lucret.* 1, 147. 2, 59.

**) *Horat.* 4, 13, 12. Neque igitur erat, quod *Quintilianus* reprehenderet hanc locutionem, *Inst. orat.* 8, 6, 17.

mus, farinam putans, sed oppressus a muslela amittit vitam. Alter similiter ac tertius perit. Aliquot subsecutus, accessit etiam senex veterator, multarum rerum usu, periculisque, quae effugerat, exercitus, qui, cum intelligeret procul infidias: quae ibi iaces, inquit, sic valeas, ut farina es.

Iam si Phaedrum ipsum suspicimus, facile sit, quibus a consuetudine prosaica recedat, intelligere.

Muslela cum annis et senecta debilis,	Alter similiter, deinde perit tertius;
Mares veloces non valeret adsequi,	Aliquot secutus, venit et veterator,
Involuit se farina, et obscuro loco	Qui saepe laqueos et muscipula effugerat,
Abiecit negligenter: mus, escam putans,	Proculque infidias: cernens hostis callidi,
Adfluit, et compressus occubuit neci.	Sic valeas, inquit, ut farina es, quae iaces.

Coniunctio cum loco alieno posita est; debebat enim poni: muslela annis et sen. deb. cum eet. Senecta vocabulum est plane poeticum. Velox non admodum vitatum oratoribus, licet velocitas et velociter satis vulgaria sint; praeterea epitheton pro hoc loco nullum vult vitari. Valere pro posse, cum infinitivo, poetis omnino est proprium, atque apud ipsos deterioris aetatis scriptores prosaicos rarissimum. Involare se farina pro volvere se in farina, ut haec vndique adhaereat corpori, exquisitè dicitur. Escam pro cibo, item adfluvio, raro apud oratores leguntur, neque igitur vulgaria sunt. Neci occumbere, poeticum est (morte occumbere semel Cicero Tull. 1, 42, extr.). Comprimere pro opprimere h. e. capere, comprehendere, exquisitum est. Neque et pro etiam vulgare est. Retorridus proprie est contractus in rugas a calore nimio; deinde vitatur de sene versuto ac veteratorio, quo sensu recobtus est apud Horatium, Serm. 2, 5, 55. Quomodo igitur exquisitius invenit senem describere Phaedrus poterat? Laquei et muscipula per se duo dicuntur pro laqueis muscipulorum, vel pro muscipulis simpliciter (nam muscipulum erat laquei genus); deinde muscipulum, neutro genere, minus vitatum est, quam muscipula, feminino; denique, elegantia prosaica vniuersè pericula dicit, neque attinget singulatim muscipula et laqueos. Cernere exquisitè dicitur pro discernere, distinguere. Hostis callidus pro nomine multae repetendo ponitur cet.

En colorem poeticum in fabella simplicissima! quae in gratissima tenuitate tam multa habet, quibus exultet, ac supra vulgarem consuetudinem se extollat!

Simili prorsus ratione elegiam Ovidianam, aut Horati Virgilivae locum tractare tirones magistri docebunt. Sic exercitati illi poeticae orationis facultatem sensum sibi eximiam comparabant, et quid inter prosam et poësin vel tenuissimam interfit, sentire cum insigni fructu discunt.

Sed iam ad id, cuius causa hunc libellum conscripsimus, accedere nos iubet pietas, immortalium b. ORBARIUM, quam ipse amplissimo liberalitatis munimento consecrauit, memoriam, etas more maiorum solemniter ritu cultura. Quare amplissimos Gymnasii PATRONOS, ceterosque bonarum litterarum FAVTORES, ut huic cerimoniae celebratae atque splendorem praestent honorifica sua praesentia, et orationibus, crastino die ab hora II pomeridiana in primi ordinis auditorio habendis, benevolos se facilesque praebant auditores, ea quae cuique debetur, obseruantia, etiam atque etiam rogamus. Declamabunt autem

IOANNES GOTTLIEB TETTENBORN, Nordhusanus, de ingenio et moribus Ciceronis, germanice.

IOANNES AVGVSTVS BRAVER, Hallensis, de recto ordine in literarum studiis servando, germanice.

AVGVSTVS GOTTLIEB WEBER, Hallensis, de humanitatis virtute, latine.

Denique CONECTOR de difficili ingeniorum pictura latine praefatus, vota pro salute publica nuncupabit.

P. P. a. d. IX Ian. MDCCCLXXXIII.

W 18



DE
ELOCUTIONIS POETICAE
NATURA
PROLVSIO



VA
IENDAS
IONES
LENSI LVTHERANO
R. MDCCLXXIII
OMERIDIANA
NDAS
NASII PATRONOS
BONARVM LITTERARVM
ORES
ME INVITAT

M. CHRISTIANVS DAVID IANI
CONRECTOR,

HALLAE MAGDEBVRGICAE
LITTERIS FRIDERICI WILHELMI HVNDTII

